



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

23. De Magistro scholæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



qui in maioribus celebrioribusq; oppidis constituuntur; quibus præter Ecclesie propriæ curationem; certarum quoque Ecclesiarum, & certorum presbyterorum, qui minoribus Ecclesijs præstant, inspectio & observatio committitur: *ut videtur colligi ex cap. ult. de Off. Archipresbyteri, innuit Panormitanus in cap. Ad audiendam, de Ecclesijs adifician.*

Secundo quaeritur, An Plebanus Ecclesiasticum beneficium habeat? Respondeo habere; sic enim colligitur ex *c. Quod Dei timorem, de statu Monacho. Et ea super specula, ne clerici, vel Monachi, c. l. Ne clerici, vel Monachi, in sexto.*

Tertio quaeritur, An Plebanus animarum curam habeat? Respondeo, iure communi habere: non id enim obscure indicant. *cap. Quod Dei timorem, de statu monacho, c. cap. l. Ne Clerici, vel Monachi, in sexto.*

Quarto quaeritur, An Plebanus dignitatem habeat? Respondeo, in iure communi Canonico, tantum dici eum habere curam animarum, ut constat ex locis supra citatis. At in quibus, Plebanus in iure dicitur Prælatum, *ut videre est in locis supra citatis, cap. super specula, ne clerici, vel Monachi, c. l. eod. tit. in 6. at Prælatum dignitatem habet, Respondeo, cum Gloss. Et Abbate in c. 2. de iudic. Prælatum in iure generaliter dici eum, qui est in Ecclesia Præfectus, & personatum habet, ac proinde omnis Parochus & Beneficiarius curæ animarum Præfectus, Prælatum vocatur in cap. de Reclorib. de Clerico agrotante.*

Quinto quaeritur, An Plebanus etiam si nondum sacerdos sit creatus, comprehendatur in *c. super specula, ne clerici, vel Monachi, ubi excommunicatio constituitur aduersus Archidiaconos, Diaconos, Plebanos, Præpositos, & alios clericos personatum habentes, & presbyteros, qui legibus, & medicis operam dederint. Respondeo, comprehenditur, ut eo loco Gloss. annotauit, quia in ea constitutione generatim dicitur, Plebanos, ac ubi vis non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Sexto quaeritur, An Plebanus personatum habeat? Respondeo, habere, quoniam in Ecclesia personatum habet is, qui in ea prærogatiuam per honorificumque gradum tenet, quo clericis eiusdem Ecclesie antecedit, vel in sedendo, vel in suffragio & sententia ferenda, vel in incessu, vel in publicis supplicationibus: sed Plebanus est Præfectus Ecclesie habetis capellas, quibus clerici tanquam Vicarij præficiuntur, ut colligitur ex capitib. supra citatis.

### C A P. X X I I.

#### De Præcentore.

Primo quaeritur, Quis sit Præcentor? Respondeo, in Ecclesijs, præsertim Cathedralibus, siue Collegiatis inter eos, qui sunt præditi dignitate, numerari Præcentorem, qui solet etiam Cantor vocari: sit mentio Præcentoris in *c. cum olim, de consuetudine.* Olim siquidem cum esset instituta schola Cantorum ad diuinas laudes in choro decantandas, sicut toti scholæ cantorum vnus præfectus erat, qui Primicerius dicebatur: sic toti cantorum Choro in duas partes diuiso vnus præerat, qui Antiphonas & Psalmos inchoabat. Nam Psalmi alterius versibus à clericis cantabantur, & Præcentoris erat cantum incipere. Vnde & alicubi dicitur Cantor, alibi Præcentor, ut in Ecclesijs Anglicanis, *c. cum olim, de consuet.* Quomodoque vocetur, dignitatem, vel saltem personatum habet, *ut patet ex cap. cum olim, citato, quoniam in choro, consessu, comitijs Canonicorum, & suffragiis ferendis prærogatiuam obtinet.*

Quæres, An eius munus in iurisdictione & cura animarum consistat? Respondeo, minime, nisi ubi fuerit consuetudine introductum.

Secundo quaeritur, Quisnam Succentoris nomine intelligatur? Respondeo, in quibusdam Ecclesijs maxime Cathedralibus solet esse beneficiarius. Succentor appellatus, cuius est mentio in cap. Inter dilectos. De excess. Prælator.

Eius autem munus & officium est, absente Cantore siue Præcentore incipere tantum in choro, Antiphonas & Psalmos inchoare. Vade in quibusdam Ecclesijs vocatur Vicecantor, quia Cantoris vice fungatur.

### C A P. X X I I I.

#### De Magistro scholæ.

Primo quaeritur, Quemnam Ecclesie quædam Scholasticum nomen? Olim Ecclesie Cathedralibus vnus aliquem constituitur solebat, qui clericos omnes inferiores cantum Latino sermone, & alias artes ac disciplinas doceret, ut sciret Latine legere, scribere, loqui, & cantare, & ut q; de officiis diuinis recitarent, probe intelligerent, ac proinde eum Magistrum scholæ vocabant, qui in modo etiam in nonnullis Ecclesijs dicitur Scholasticus, in alijs Scholarchus, hoc est, scholæ Præpositus, siue Præfectus.

Secundo quaeritur, An scholæ Magister dignitatem habeat? Respondeo, dignitatem aut saltem personatum in Ecclesijs Cathedralibus habere: alicubi etiam est alius eo inferior, dignitate quoque personatum prædicitur, qui dicitur Vice-scholasticus, absentes Scholastici munus & officium exequi & præstare solent.

Porro annotandum est olim, Scholasticum vocari solitum Aduocatum. *l. 2. C. de iudic. aduocato.* Lex est in Codice Theodosiano, in hæc verba: Non latet, Scholasticus vltra modum acceptis honorarijs in defensione causarum annuam Et sumptus accipere consueuisse. In Concilio Sardicensi, cap. 10. Scholastici ex foro dicuntur, & in Concilio Carthagenensi, cap. 99. Iudices Scholastici. In martyrio Dorotheæ Virginis, Theophilus quidam aduocatus, Præsidis Scholasticus vocatur. *Scholasticus nomine,* inquit Tacitus lib. de Oratoribus, *primum nuncupati sunt Rhetores, Et Declamatorum scitarum: deinde à filiis lucibus transit ad verba.* Plinius 2. epist. *Adhuc Scholasticus tantum est.*

### C A P. X X I V.

#### De Capellano maximo, siue maiore, ut vocant.

Primo quaeritur, quis Cappellanus maior, siue Magnus, siue Maximus vocetur? Sciendum est, in quibusdam Ecclesijs, potissimum Cathedralibus, inter alios in dignitate, vel personatum constitutos, quendam esse, quem Cappellanus maiorem vulgo appellant: cuius munus & officium ex ipsarum Ecclesiarum consuetudine & more pendet: Nam cum in Ecclesijs solent esse multi Cappellani: dictus est Cappellanus maior, si, qui ceteris Cappellanis honore & dignitate præstat. Et forsasse partes eius erant curare, ut ceteri Cappellani suum officium debitis temporibus obirent. Quare vbiunque more Patrie vel Ecclesie dignitatem, aut Personatum habere intelligitur, numerari debet inter eos, qui sunt personatum, & dignitate præditi, ut in Ecclesia Toletana censetur.

### C A P. X X V.

#### De Prælato.

Primo quaeritur, Quis Prælati nomine accipiat in iure? Hanc questionem tractat Abbas *ca. Decernimus de iudi. num. 16.* Glossa in eo capite ait: Prælatorum nomine intelligi eos, qui iurisdictionem ordinariam habent, ut Episcopi, Abbates, & alij Ecclesiastici Iudices ordinarij: & hi proprie, *ut Abbas tradit,* Prælati dicuntur in iure. Minus etiam proprie, eodem teste Abbate, vocantur Prælati, qui in Ecclesia, sine Iurisdictione prærogatiuam, & hono-